Zu der

# Schulfeierlichkeit

des

## Gymnasiums zu Guben,

welche

**Freitag den 30. März 1855 Vormittags von 8 und Nachmittags von 2 Uhr an**

stattfinden wird,

ladet ergebenst ein

das Lehrer-Collegium.



**Inhalt des Programms:**

1) De Philonide et Callistrato } von dem Director.
2) Schulnachrichten. }

Guben,
Druck von F. Fechner.

# DE PHILONIDE ET CALLISTRATO.

***Friderico Gustavo Kiessling Theodorus Kock S. P. D.***

Quod Tua potissimum, Vir Optime, benevolentia et adhortatione commotus suscepi, magnum fortasse mihi et *periculosae plenum opus aleae*, ut in Aristophanis comoediarum emendatione et interpretatione operam et laborem consumerem, id eo ipso tempore, quo omnes ingenii industriaeque nervos in eo contendere constitueram et mox Ranarum editionem me confecturum esse sperabam, inexspectata fortunae commutatione subito interruptum est ita, ut per aliquantum temporis de eo persequendo cogitare non liceat. Attamen, ne plane carerem carissimorum illorum studiorum consuetudine, neve operosi muneris officiique curis districtus difficillimarum quaestionum, quae nisi continua meditatione atque exercitatione solvi non posse viderentur, paene memoriam ipsam abjicerem, aliquam certe partem tractare placuit eorum, quae uberius et accuratius me explicaturum esse anno superiore in Equitum praefatione promiseram. Et quoniam arctiore quidquid scribere decrevissem spatio continere temporis angustiis cogebar, brevem aliquam disputationem, quae est de Philonide et Callistrato, difficillimam illam quidem, sed saepe a me et tam assidue et diligenter pertractatam, ut operae pretium me facturum esse confiderem, si ad eam absolvendam animum adpulissem, hac scholasticae scriptionis occasione oblata eligendam esse existimavi. Qua in re quum nemini magis quam Tibi, Vir Optime, operam meam probari cuperem, Tecum potissimum quae invenissem communicare constitui: nam quum semper studiorum meorum fuisses et auctor et adjutor benevolentissimus, fore sciebam ut, si in tanta opinionum perturbatione quasi crassa quadam caligine circumfusus verum omni ex parte non potuissem dispicere et ex tenebris eruere, Tu facillime, quae Tua est humanitas et indulgentia, mediocritati meae ignosceres.

Et est profecto cur ignoscas. Si quid enim est quod ego vel in hoc quo fungor munere vel in literis perficere possim — quod ego semper doleo prae Tuis erga me meritis nullius prorsus momenti esse —, id quodammodo totum est Tuum. Tuis auspiciis prima ut ita dicam magisterii stipendia merui; Tua comitas a fortunae iniquitate, Tua amicissima semper et paene patria admonitio haud raro

me a nimia quadam animi aegritudine et moestitia defendit; Tua benignitas etiam in literarum studiis saepe dubitantem confirmavit, viribus diffidentem erexit, errantem ad veritatem leniter revocavit.

Sed quoniam Te scio paratissimum quidem esse ad beneficia in alios conferenda, inanes vero praedicationes et *vanae praeconia famae* ita non appetere, ut laude etiam merita offendaris potius quam delecteris gratiamque haberi Tibi quam agi malis: omissis iis quae libentissime, si Tua modestia permitteret, palam adderem, ad id ipsum quod propositum est aggrediar.

Etenim quaestio illa, quae est de Philonide et Callistrato, ut difficultates habet maximas, ita cum universa Aristophanis vita et fortuna tam arcte est conjuncta, ut, nisi illam absolveris, qua ratione poeta fabulas suas et eas imprimis quas ante Equites edidit docuisse videatur, perspicere non possis. Qua in re incredibilis exstitit virorum doctorum dissensio. Nam ut eos omittam qui leviter tantum et quasi praetereuntes eam rem attigerunt, G. Hermannum, Boeckhium, Ritterum, Meinekium, alios: postquam G. Dindorfius in fragmentorum Aristophanis editione Epulones — ita enim liceat appellare qui a Graecis *Δαιταλῆς* dicuntur —, quam primam Aristophanes fabulam composuit, a Philonide, Babylonios et Acharnenses, tempore illi proximas, a Callistrato doctas esse contendit, plurimi viri docti[1]) tam diversas eadem de re sententias protulerunt, ut non solum de levioribus ejus quaestionis partibus paene insanabilis inter eos orta sit discordia, sed etiam de eo in quo cardo ut ita dicam causae vertitur gravissima inciderit dubitatio. Quin etiam, quum de Epulonibus certe antea fere omnes consensissent, nuper exstitit, qui hanc quoque fabulam Philonidi abjudicatam Callistrato tradi jussit: idemque novam aliquam et intactam a prioribus viam ingressus plurimas ab Aristophane fabulas amicis donatas et inter eas quas nobis temporum injuriae reliquerunt Equites tantum et Pacem et Plutum ab ipso in certamen commissas esse contendit[2]).

Quae quum ita sint, si nos *infandum renovare* laborem paramus, magnopere videtur verendum esse, ne a Te quoque, Vir Optime, cum Sisypho illo conferamur, qui quod saxum sexcenties de clivo delapsum vidisset, id nihilominus denuo semper omnibus viribus enitebatur ut in summum verticem evolveret. Sed quamquam tantorum virorum neminem aequiparare, nedum superare posse ingenio videbamur, tamen nescio quomodo et Aristophanis comoedias et interpretum grammaticorumque libros perlustrantibus ea semper oboriebatur suspicio, ut non satis accu-

---

[1]) Veluti Rankius (de Aristophanis Vita), Hanovius (Exercitat. Critic. in Comic. graec. cap. I), Fritzschius (de Daetalensibus et Babyloniis; Quaest. Aristophan. pag. 301 sqq.), C. F. Hermannus (Ind. lect. Marburg. 1835 et 1842), Droysenus (cf. praefat. Acharnensium), denique Bergkius (Fragm. Aristoph.). Indicem Marburgensem a. 1842 mihi comparare non potui, quod eo vehementius doleo, quo magis cum C. F. Hermanno me consentire ex iis intellexi quae in altero indice protulit.

[2]) Praeiverat quidem quodammodo Rankius: ita tamen ille, ut etiam Nubes et Vespas Aristophani relinqueret. Contra Rankium breviter jam disputavit Grysarius, Allg. Schulzeitung 1832, p. 718 sqq.

rate et diligenter a summis illis viris omnia perpensa et momentis suis ponderata, nonnulla etiam interdum non sine aliqua morositate et acerbitate pronunciata esse existimaremus: qua re quantopere judicii acumen obtundatur, nemo est qui nesciat. Et quum praeterea illi hanc de qua agimus quaestionem non per se solam spectantantes plerumque, sed aliud agentes tractaverint, sperare fortasse licebit, si summa nos cautione et circumspectione adhibita nullaque alia cura occupati quam accuratissime hanc ipsam rem examinaverimus et sine ira et studio tam veterum quam recentiorum sententias dijudicaverimus, fieri posse ut verum inveniamus tantasque lites tandem aliquando componamus.

Quum vero summa illa in hac re dissensio inde orta esse videatur, quod viri docti plurimi ab iis quae grammatici et scholiastae tradiderunt negotium ut ita dicam auspicati tum demum, praeoccupati jam perversis istorum hominum opinionibus, ad Aristophanis ipsius verba se contulerunt: nos contrariam viam, naturae illam quidem, ut videtur, magis consentaneam ingrediemur, ut primum, quid ex ipsius poetae comoediis tanquam optimis omnium in hac re veritatis testimoniis investigari possit, accuratissima disputatione exquiramus, deinde ad scholiastarum et grammaticorum narrationes transeamus; in utroque autem labore, ubicunque e re nostra esse videbitur, magnorum illorum nostrae aetatis virorum rationem habeamus.

Et exordium quidem disputationis nostrae a Vesparum parabasi capiendum videtur, quam paucis tantum versibus omissis, quoniam copiosissime primarum Aristophanis fabularum rationem declarat, huc placet transscribere. Admonitis spectatoribus, ut attentis animis quae dicturus sit excipiant, poeta se habere dicit quod civibus justissime exprobret:

1017 *ἀδικεῖσθαι γάρ φησιν πρότερος πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκώς,*
*τὰ μὲν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ἐπικουρῶν κρύβδην ἑτέροισι ποιηταῖς,*
1020 *εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι·*
*μετὰ τοῦτο δὲ καὶ φανερῶς ἤδη κινδυνεύων καθ' ἑαυτόν,*
*οὐκ ἀλλοτρίων, ἀλλ' οἰκείων Μουσῶν στόμαθ' ἡνιοχήσας.*
*ἀρθεὶς δὲ μέγας καὶ τιμηθεὶς ὡς οὐδεὶς πώποτ' ἐν ὑμῖν,*
1024 *οὐκ ἐκτελέσαι φησὶν ἐπαρθεὶς οὐδ' ὀγκῶσαι τὸ φρόνημα.*
*οὐδ' ὅτε πρῶτόν γ' ἦρξε διδάσκειν, ἀνθρώποις*[3]*) φήσ' ἐπιθέσθαι,*
1030 *ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν,*
*θρασέως ξυστὰς εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι* (Cleoni).
1036 *τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὔ φησιν δείσας καταδωροδοκῆσαι,*
*ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖ.*

Queritur igitur injuriam sibi illatam esse pro plurimis beneficiis: nam initio quidem occulte alios poetas a se adjutos et eorum nomine multas comoedias in

[3]) Hoc ferri non posse multi viderunt. *ἀνθρωπίσκοις* (pro *ἀνθρώποις φήσ'*) Hirschig. *πάννοισιν* Bergk; *ἰδιώταις* ego ex Pac. 751, unde *ἀνθρωπίσκοις* vel *ἀνθρώποις* adscriptum in Vesparum locum irrepsit. Si quis forte alius illam conjecturam praeoccupavit, excusatum me velim.

certamen esse commissas: postea se jam palam pro se ipsum periculum subiisse, non alienarum, sed suarum Musarum ora temperantem, nunquam vero nimiam *superbiam* quamvis egregiis *quaesitam meritis* sumpsisse. Neque quum primum ipse fabulas docere coepisset, homunculis ignotis sese esse insidiatum, sed Herculis ritu summos in republica viros petiisse: nam statim se digladiatum esse cum Cleone, qui jam tum ingenti adulatorum multitudine stipatus clavum reipublicae summa cum impudentia tenuisset.

Jam si quorsum haec spectent quaesiverimus, mediam in aciem dimicationemque ipsi quoque venisse videbimur. Nam poetam ipsum priores et posteriores comoedias ita discernere, ut illas aliis se tradidisse, has ipsum docuisse dicat, omnes concedunt: quam vero primam docuerit, magna est dissensio. Qua in re illud non negligendum est, quod poeta se prima statim quam ipse docuerit fabula in Cleonem impetum fecisse, contra ignotis homuncionibus pepercisse dicit. Apparet igitur eum prima quam ipse in certamen commisit fabula id ante omnia et paene unum spectasse, ut adversarium illum prosterneret et profligaret; apparet praeterea in eadem fabula alios mediocres homines non fere lacessitos esse. Jam ante Equites Aristophanes dederat Epulones, Babylonios, Acharnenses. Et Epulones quidem, quoniam ab ipso non est ea fabula in certamen commissa, hic intelligi non posse inter omnes constat, neque magis Acharnenses, quam fabulam Hanovius primam ab Aristophane doctam existimat, quamquam in hac quoque saepius Cleonem perstringit, illis verbis indicari posse vix quisquam erit qui neget. Equites significari volunt reliquorum plurimi, Babylonios Fritzschius. Qui quamquam paullo audacius loqui in hac re videtur, tamen sibi ipse parum constitit. Nam in illa quidem quae est de Daetalensibus commentatione (p. 11. 12) vv. 1021. 1022. ad Babylonios, vv. 1029 sqq. ad Equites pertinere contendit, in Quaestionibus Aristophaneis (p. 315) hos quoque versus (1029 sqq.) non jam ad Equites, sed ad Babylonios jussit referri: quo facto tota ea quam supra protulimus parabasis pars ad solos Babylonios spectabit. Ponamus recte vereque Fritzschium judicavisse: jam ipso Aristophane teste in Babyloniis istorum pumilionum, plumis foliisque ut ajunt leviorum, quorum tum in Atheniensium republica satis magnus erat proventus, nemo fere comoediae sale defricabatur, sed unus ille omnium gigantum Cleo periculosissimus et impudentissimus. Nam diserte Aristophanes — neque hoc nobis ullo modo patiemur de manibus extorqueri — non istis homuncionibus, sed statim Cleoni se bellum narrat indixisse, quum primum ad docendas fabulas animum adpulisset. At longe aliter de ea re Fritzschius. Nam de Babyloniis disserens (p. 36 et 38) in hac comoedia leviter tantum et quasi in transitu Cleonem impugnatum et postea quoque semel tantum (Equitibus editis) „dedita opera et pro eo ac meritus erat ferociter verbis verberibusque" castigatum, saepissime vero in Babyloniis Eucratem et Lysiclem cum aliis id genus hominibus popularibus notatos esse docuit. Quamquam ne in hac quidem re inconstantiae crimine absolverim virum doctissimum. Aliquot enim annis interjectis in Quaestionibus Aristophaneis (p. 301) eorum quae

antea docuerat quodammodo, ut videtur, oblitus Cleonem in Babyloniis quoque „graviter proscissum (p. 302) acriterque castigatum et vexatum esse“ (p. 315) affirmavit. Geminum igitur, Vir Optime — a Te enim, quoniam ne Hercules quidem solus tantum malum sustinuit, auxilium petendum est — geminum jam habemus Fritzschium et altero, si quidem id fieri poterit, prostrato tanquam ex hydrae cujusdam capite alterum excitabimus adversarium. Sed age experiamur, numquid nos quoque Iasonis imitatione possimus proficere, qui, quum periculosissima contra eam quae ex draconis dentibus subnata erat armatorum segetem subeunda esset dimicatio, altero contra alterum incitato victoriam nullo plane negotio reportavit. Illo enim Fritzschio, qui Babyloniorum fragmenta diligentissime perscrutatus, quid poeta illa comoedia efficere voluerit, ingeniose persequitur, contra alterum eum C. F. Hermanno ardentius quam cautius decertantem et quas ipse egregie illustravit rerum veritatem, ut cum proposito congruere videantur, inflectentem paullulum et ut ita dicam adulterantem optimo adjutore in hac re uti posse mihi videor. Concedamus igitur Babyloniis quoque provocatum quodammodo esse in certamen Cleonem, sed ita provocatum, ut et cum multis aliis neque multo acerbius illis irrideretur et leviter tantum prae Equitum petulantia et quasi in transitu perstringeretur; concedamus ea quoque fabula iram Cleonis vehementer stimulatam, quippe qui usque ad illud tempus tantam audaciam nondum perpessus esset, multo tamen majorem mox perpessurus; acerrimam autem odii vehementiam et totum acerbitatis virus semel tantummodo poetam in illum, quem universae reipublicae hostem habebat, evomuisse. Namque hac in re rursus Aristophanis ipsius testimonio nitimur semel tantum se justo proelio cum Cleone congressum, nunquam vero postea eam pugnam redintegratam esse in Nubibus (549. 550) diserte profitentis. Itaque quum dubitari non possit, quin in Vesparum parabasi eam comoediam poeta significet, qua praecipue et summa animi contentione in Cleonem impetum fecerit: neque ad Acharnenses profecto neque ad Babylonios, sed ad Equites ea quae supra transscripsimus verba erunt referenda. Quae quum ita sint, ante Equites nullam a poeta ipso doctam esse fabulam apparet.

Redeamus paullisper ad vv. 1021. 1022: quibus poeta, postquam prim*as* fabul*as* (*κωμῳδικὰ πολλά, πόλλ' αὐτοὺς εὖ πεποιηκ.*) aliis poetis (*ἑτέροισι ποιηταῖς*, non *ἑτέρῳ ποιητῇ*) tradiderit, jamjam ipsum palam docendae fabulae periculum se fecisse dicit, non alienarum, sed suarum Musarum ora temperantem. Nam quum *κινδυνεύειν*, periculum subire haud raro is dicatur, qui carmine aliquo docto in certamen descendit, *κινδυνεύειν καθ' ἑαυτόν* aptissime ad eum referetur, qui non jam aliena, sed sua opera fabulam doceat et ipse chori exercendi munus suscipiat. Quod si recte statuimus, hi quoque versus ad Equites pertinebunt, non ad Babylonios: nam illam, non hanc fabulam primam Aristophanes ipse sua opera, nullo alieno auxilio usus docuit. Et cum hac interpretatione optime conveniunt ea quae statim poeta subjicit: non alienae, sed suae Musae vocem se temperasse. Quamquam in his quidem verbis explanandis cum plurimis interpretum consentire non possum. Vulgo enim ita explicant,

tanquam Aristophanes se non, ut Philonidem Callistratum alios, aliena carmina docuisse, sed suis fabulis spectatorum voluptati consuluisse glorietur. At — ne poetam de sua fabulas docendi ratione ea quae necessaria essent jam superioribus versibus dixisse moneam — quae tandem haec esset non solum arrogantia, sed etiam fidelissimorum amicorum satis intempestiva vexatio? Affecisset enim acerbissima ignominia illos, quorum in docendis comoediis auxilio et antea et postea interdum, quorum in agendis fabulis opera fere semper utebatur. Itaque ego quidem Bergkii[4]) rationem sequor. Constat enim crimini multos Aristophani dedisse, quod non suo Marte ut ajunt comoedias suas, sed aliorum ope adjutus conficeret. Veluti altera Equitum parabasis non tota ab ipso, sed magnam partem ab Eupolide, quocum tunc ei nullae intercedebant inimicitiae, scripta esse dicitur. Quae quidem res non vago quodam rumore ficta est neque fama tantum et auditione accepta, sed et ab Eupolide ipso postea[5]) et a Cratino[6]) commemoratur. Non igitur amicos intempestive perstringit Aristophanes, sed se contra gravissimam obtrectatorum criminationem defendit, dicens se periculum fabulae docendae subiisse et honorem gloriamque apud cives quaesivisse non aliorum poetarum thesauros expilantem, sed de *suis* lautissimis epulis flammeos ut ita dicam pulcherrimorum carminum haustus propinantem. Eam enim fabulam, qua imprimis non solum poeticae virtutis laudem, sed etiam fortitudinis et liberae cujusdam contumaciae palmam accepisset, non ab Eupolide, sed a se et excogitatam esse et confectam. Haec si vera sunt, hic quoque Equites significare voluit.

Neque vero Fritzschii ratio ad Babylonios haec verba referentis ad ea quae ipse aliis locis statuit ullo modo videtur accommodari posse. Nam eam quam supra commemoravimus locutionem *κινδυνεύειν καθ' ἑαυτόν* hic quidem sic fere ut nos interpretatur, nisi quod primam Babyloniorum fabulam ab ipso Aristophane doctam esse arbitratur: contra in Equitibus (v. 513), ubi multos Atheniensium mirabundos poeta ex se quaesivisse dicit, *ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν*, ita rem explicari jubet, ut tum Aristophanem non solum chorum pro se ipsum a praetore petivisse, sed etiam primas in Equitibus partes ipsum egisse existimemus[7]). Haec notio autem si in Equitibus verbis *καθ' ἑαυτόν* tribuenda est — nam *χορὸν αἰτεῖν* quidem nihil aliud est quam chorum petere, quod poetae officium esse nemo est qui nesciat — eadem inerit in Vesparum versibus. Itaque si in Equitibus intelligi necesse est eum qui pro se a praetore chorum petat, ut ipse primas fabulae partes agat, et si praeterea Vesparum versus 1021. 1022. ad Babylonios spectant: non solum in Equitibus, sed etiam in Babyloniis Aristophanes protagonistae munus susce-

---

[4]) Aristoph. Fragm. p. 30. — [5]) Bapt. fragm. 16. Meinek.: *κἀκείνους τοὺς Ἱππέας συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.* — [6]) Schol. Arist. Eq. 531: (*Κρατῖνος*) *κακῶς λέγει τὸν Ἀριστοφάνην ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα.* — [7]) De Daetal. p. 15 sqq. Quaest. Aristoph. p. 314.

pisse credendus est. Quam rem ne Fritzschio quidem probari existimaverim. Maneat ergo eandem locutionem idem semper valere neque alibi aliter esse accipiendam; maneat non Babylonios Vesparum versibus 1021. 1022, sed Equites significari: nam hanc fabulam, non illam ab Aristophane ipso primam doctam esse satis jam opinor constat.

Consulto in ea quam supra transscripsimus parte parabasis Vesparum quaedam omisimus, quibus imprimis nostra de interpretatione hujus loci sententia confirmari videatur. Ea jam subjiciemus, et ita quidem, ut cum Vesparum parabasi Pacis parabasim conjungamus, quippe quae tantam magna ex parte prae se ferant similitudinem, ut poeta integros versus aut iisdem verbis aut paullulum immutatis repetere non dubitaverit. Nam in Pace (vv. 735 sqq.) propterea potissimum se summa laude atque admiratione dignum sibi videri praefatus, quod artem comicam, ante se humilem et in plebejo quodam et minime urbano facetiarum genere versantem verborum sublimitate ad dignitatem provexerit, sententiarum gravitate et magnificentia reipublicae quodammodo adjutricem et ministram fecerit, eadem ratione qua in Vespis usus erat iisdemque fere verbis fortitudinem suam civibus commendat, qua fretus initio statim potentissimos et periculosissimos homines, et unum quidem omnium acerrime Cleonem aggressus sit:

*οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,*
*ἀλλ' Ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπεχείρει,*
*διαβὰς βυρσῶν ὀσμὰς δεινὰς κἀπειλὰς βορβοροθύμους.*
*καὶ πρῶτον μὲν μάχομαι πάντων αὐτῷ τῷ καρχαρόδοντι,*
*οὗ δεινόταται μὲν ἀπ' ὀφθαλμῶν Κύννης ἀκτῖνες ἔλαμπον,*
*ἑκατὸν δὲ κύκλῳ κεφαλαὶ κολάκων οἰμωξομένων ἐλιχμῶντο*
*περὶ τὴν κεφαλήν, φωνὴν δ' εἶχεν χαράδρας ὄλεθρον τετοκυίας,*
*φώκης δ' ὀσμήν, Λαμίας δ' ὄρχεις ἀπλύτους, πρωκτὸν δὲ καμήλου.*
*τοιοῦτον ἰδὼν τέρας οὐ κατέδεισ', ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων*
*ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων.*

In his pauca quaedam insunt quae in Vespis non leguntur, plurima iisdem verbis ex illa comoedia repetuntur. Omnia autem, etiamsi ex perenni lepidissimae festivitatis fonte etiam nova quaedam poeta hausit et recentiores ut par erat sales novae fabulae adspergendos putavit, ita sunt comparata, ut vel invito et minus attente audienti Equitum memoriam adferant. Nam versum quidem 753 (*διαβὰς βυρσῶν κτλ.*) quisquis perlegerit, etiam nolens recordabitur illius fabulae, ubi Cleon Paphlagonis coriarii et munus et nomen sustinet, ubi istum coeni (*βορβοροτάραξις* Eq. 309) et reipublicae turbatorem (Eq. 866) equitum chorus vehementissime exsecratur. Cerberum vero serratis dentibus minitantem habemus in Equitum v. 1017, Cynnam meretricem v. 765; neque torrens perniciem parturiens ad alium quemquam referri poterat, quam quem in Equitibus (v. 137) latratorem Cyclobori instar clamantem appellaverat. Haec omnia ex illa comoedia tam manifesto depromta sunt, ut vix ullum fuisse in theatro spectatorem affirmaverim, quin ejus animo tam lucida fortis-

simorum illorum equitum obversata sit imago, ut eos denuo cernere oculis ac praesentes in orchestra conspicere videretur. — At, inquit Fritzschius, Babylonios respicere poetam apparet ex v. 760: „pro insulanis enim minime in Equitibus, sed fortissime in Babyloniis propugnaverat Aristophanes.“ — Omitto quod contra hanc opinionem verissime dici potest, vix quidquam nos de Babyloniis certi et explorati scire posse et quaecunque de iis proferantur, conjectura verisimillima illa quidem interdum, at tamen conjectura niti: id quod Fritzschius ipse confirmat iis quae de Babyloniis disputavit (p. 6). Sed primum jam non unam aliquam comoediam esse intelligendam, sed plurimis se sociorum quoque patrocinium suscepisse poeta clare atque evidenter profitetur dicens: ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων: deinde vero quod vir doctissimus in Equitibus socios ab Aristophane defendi negat, mecum mirabitur quisquis Equitum vv. 170—176. 312. 326. 347. 438. 834 sq. 932 sqq. 1034. 1070 sqq. 1319. 1408 vel oscitanter perlegerit: quorum versuum nonnulli tam diserte de sociorum injuriis queruntur, ut eos ipsos poeta in Pace respexisse videatur.

Jam vero priusquam ultra progrediamur, accuratius examinanda est quaedam veterum grammaticorum narratio, quae ad hanc controversiam recte dijudicandam aliquantum habet momenti. Certatim enim ut ita dicam veteres Aristophanis interpretes in Equitibus poetam ipsum tradunt primas egisse. Quin etiam mirum in modum hanc narrationem exornant: neminem operariorum personam ad Cleonis similitudinem effingere ausum: propterea, quum etiam histriones in tanti tamque gratiosi apud populum viri odium et invidiam incurrere noluissent, Aristophanem in scenam prodiisse et initio quidem timide et cunctanter rem egisse, mox autem ingenti totius populi plausu excitatum mirifica arte suique fiducia ad tantam omnium animos admirationem abripuisse, ut hac re vel maxime Equites illam qua tunc florebant gloriam et celebritatem sint consecuti. Quae narratio ita est comparata, ut, si vera videbitur, eorum quae modo demonstravimus veritatem nullo modo convellere possit aut labefactare; contra si ficta est istorum Graeculorum levitate, magnopere nostram sententiam stabiliat et confirmet. Itaque aequo animo et summa judicii integritate, quae ei fides habenda sit, expendere et possumus et debemus.

Et primum quidem fieri facillime potuisse concedimus, ut Aristophanes in egregia sua comoedia primas partes ipse agere constitueret: siquidem permulti iique clarissimi poetae primas praesertim fabulas docentes ipsi in scenam prodierunt et histrionum officio functi sunt[8]). Sed non minus certum est permultas tales fabellas, qualem hanc habemus, a veteribus, neque solum grammaticis fama et rumore inani libentissime et acceptas esse et propagatas. Exempli caussa commemoro illam de Sapphus amoribus narrationem et eas, quae sunt de clarissimorum poetarum mortibus; commemoro, ut jam propius ad propositum nostrum accedam, eam quam

[8]) Cf. Fritzsche Quaest. Arist. p. 314, qui celeberrimum Agathonis exemplum affert ex Plat. Symp. 194 B.

Aelianus[9]) servavit de Aristophane in Socratem ab hujus accusatoribus subornato fabellam, conjunctam illam cum altera simillima, qua adfuisse Socratem in spectaculo, quum Nubes agerentur, et ut ostenderet, quae inter ipsum et personatum istum in pulpito alucinantem similitudo intercederet, stantem per totum illud tempus spectasse dicebant. Etenim de talibus rectissime illo Italorum proverbio utuntur: si non est verum, at belle inventum. Quapropter, priusquam iis ad persuadendum vel ad demonstrandum uti possis, semper quaerendum est, num quam veri speciem habere videantur. Et in nostra quidem caussa confecta esset res, si Fritzschius id quod (de Daetal: p. 15 sqq.) demonstrare conatus est, totam Equitum parabasin ita demum recte intelligi, si non doctam tantum fabulam, sed etiam actam a poeta perspiceremus, omnibus persuasisset. Sed profecto nec Hermanno nec Bergkio persuasit neque opinor multis aliis: qua de re infra dicemus. Bergkius autem, quomodo narratiuncula illa orta et a grammaticis propagata videretur, tam egregie exposuit (p. 40 sqq.), ut breviter nobis de ea re dicere liceat. Quum enim Aristophanes in Equitibus (v. 230 sqq) neminem operariorum Cleonis personam ad naturae veritatem exprimere voluisse et propterea histrionem aut sine persona aut — id quod veri similius est — persona minus accurate elaborata ornatum prodíturum esse dixisset, statim homines — et nescio an jam apud aequales Aristophanis fama illa percrebruerit — poetam, quem sane fortem esse scirent et ad omne periculum paratum, ipsum prodiisse ipsumque Cleonis partes suscepisse finxerunt. Quod etiamsi fieri potuisse jam diximus, tamen vix probabile propterea existimamus, quod ejus rei Aristophanes ipse nusquam mentionem fecit. Erat autem profecto summae fortitudinis et constantiae, erat profecto facinus quo quis gloriaretur, ipsum in scenam prodire ipsumque per totam fabulam coram illo populo, cujus iste favore fretus reipublicae gubernacula tractabat, tanto viro acerrime illudere. Tamen posteriores Aristophanis comoedias quam accuratissime perlustrantes ne vestigium quidem illius narrationis reperimus. Nam in Nubium quidem parabasi illud unum dicit, se Cleoni eo tempore, quo potentia et auctoritate plurimum valeret, plagam inflixisse gravissimam, devicto et prostrato pepercisse. Neque vero in Vesparum Pacisve parabasi, ubi dedita opera vitae suae ut ita dicam cursum carminumque fortunam copiosius enarrat, levissimum ejus rei exstat indicium. Quae quidem in tanta re taciturnitas disertissimi testimonii instar habenda est. Nam fabulam egregiam componere et docere magnae est in arte poetica praestantiae et opus summa laude dignum: sed etiam actoris munus in se recipere, ubi ceteri reformidassent, et potentissimum reipublicae civem palam ac praesentem sugillare, id vero non solum artis, sed etiam summae est virtutis et ingenuae cujusdam magnanimitatis. Hoc vero facinus nunquam a poeta, ne tum quidem quum sua erga patriam merita, audaciam in aggrediendo, perseverantiam in debellando adversario cum populi in-

[9]) Var. Hist. 2, 13.

constantia et levitate liberrime compararet, quum omnia quae in cives contulisset beneficia consulto enumeraret — id vero ne tum quidem memoria dignum ab eo habitum esse poeta, qui Cleonis in se injurias tum accurate ubique commemoravit, quis unquam crediderit!

His expositis et aliqua parte laboris exantlata quum ipso disputationis nostrae ordine et decursu denuo ad Vesparum parabasin quodammodo revolvi videamur, intermissione quadam operis et relaxatione animi oblata ita, Vir Optime, si Tibi placet, utamur, ut disjecta quasi membra argumentationis colligamus atque *totam* jam Vesparum parabasin, quoniam in ea fundamentum positum est quaestionis nostrae, et ex mea et ex Fritzschii sententia explanatam uno quasi conspectu contueamur. Sic enim, quid inter illam et nostram rationem intersit, facillime opinor apparebit.

Et Fritzschium quidem si sequaris vel eum saltem Fritzschium, qui Quaestiones Aristophaneas scripsit, haec fere est poetae ad Athenienses oratio. Magnam injuriam qua me affecistis libere vobis exprobraturus sum. Postquam enim primam meam fabulam amico docendam permisi, jam ipse meo nomine comoediae docendae periculum facturus Babylonios induxi. Qua re feliciter gesta nequaquam de modestia ad superbiam deflexi neque propter gloriam meam, quae fuit maxima, turpium facinorum me a vobis veniam impetraturum esse speravi. Neque vero quum primum animum ad fabulas docendas appuli, ignotis homuncionibus insidiandum esse putavi, sed statim in Babyloniis Eucratem et Lysiclem — scilicet hi, quos acerrime in ea comoedia vexaverat, quamquam mortuorum memoria vix pauculos annos mansisse videtur, egregii in republica Periclis successores, humanae magnitudinis modum immane quantum excedebant — turpissima ignominia notavi et praeterea Cleonem, monstrum horrendum, informe, ingens, tanquam praeteriens leviter perstrinxi et, ut tali in re cautum et consideratum hominem decebat, magna cum circumspectione adortus sum. Tulissent nimirum talia dicentem Athenienses eum poetam, quem praeter ceteros generosum et magnanimum sciebant, neque mirati essent nullam plane Equitum mentionem factam, qua fabula nulla magis gloriam ejus auxerat. Immo si vera doceret Fritzschius, sic potius parabasis illa instituenda erat. Qui vos pulcherrimis et lepidissimis carminibus saepissime oblectavit, ei injuriam summam intulistis. Iam diu enim voluptati vestrae consulo. Et primam quidem comoediam alii docendam tradidi, deinde ipse aliquot vobis obtuli, quibus magnam gloriam adeptus tamen modestiae et verecundiae finibus me prudenter continui. Deinde vero ipse etiam primas partes agere in comoediis meis coepi; quod quidem primum factum est in ea, qua summo cum periculo contra potentissimum illum et gratia civium florentissimum Cleonem pugnavi. Tamen pro tantis meis beneficiis debitam mihi gratiam referre noluistis, sed egregiam praeter ceteras Nubium fabulam stulte repudiavistis. Quae quam diversa sint ab iis quae apud Aristophanem leguntur, quis est quin perspiciat?

Nam si ipsum poetam audiverimus, nihil aliud eum spectare inveniemus,

quam ut post primam cladem Nubibus rejectis acceptam spectatores suorum et in rempublicam et in artem poeticam meritorum admoneat et ad aequum judicium de novissima sua Vesparum fabula faciendum adhortetur. Quapropter *omnes* quas antea composuit comoedias enumerat et *omnibus* plausum et acclamationes spectatorum obtigisse gloriatur. Iam dudum, inquit, plurimis et elegantissimis fabulis vos delectavi: quarum primas, Epulones, Babylonios, Acharnenses, paucis commemorabo, quippe quas aliis docendas tradiderim. Deinde vero quam primam ipse in scenam induxi Equitum fabulam, ea tantam mihi apud vos gloriam et gratiam comparavit, ut nemo unquam antea tam amplis honoribus fuerit ornatus. Sed eandem fabulam etiam alio nomine laudandam esse vos quoque intellexistis. Nam quum ii qui ante me in eodem genere elaboraverunt artem comicam ingenii mediocritate quasi humi defixam tenuissent, ego primus ad altiora tendere ausus et reipublicae administrandae rationem a comoedia minime abhorrere ratus prima statim quam ipse docui Equitum fabula in Cleonem impetum feci felicissimum et ex eo tempore pro salute et dignitate patriae propugnare nunquam desii. Atque haud multo post Equites non minorem laudem merui Holcadum commissione[10]), qua fabula sycophantarum et calumniatorum fraudes et fallacias et vesanam illam quae in dies latius serpit litium libidinem optimis quibusque civibus jam pridem invisam palam exagitavi et in summam invidiam adduxi. Ad postremum etiam inanes istos nugatores novaeque cujusdam et desipientis sapientiae doctores, qui mirum in modum imperitioribus vestrum placent, ingeniosissima et diligentissime elaborata Nubium fabula ita perstrinxi, ut, nisi repudiata esset a spectatoribus, totam illam patriae pestem uno impetu ex urbe propulsurus fuerim. Quae quum prupter nimiam fortasse subtilitatem a vobis non intellecta, a judicibus rejecta sit, oro vos atque obtestor, ut nunc saltem aequiorem et sapientiorem de Vespis sententiam feratis. — Ita demum et aptissime cohaerere et optime congruere inter se omnia videntur.

Si in Vesparum parabasi, Vir Optime, justo diutius Tibi immorari videbar, quoniam necessitate quadam coactus id feci, facile me Tecum in gratiam rediturum esse spero: nam Nubium parabasin paucissimis commemoravisse satis erit; quae quomodo sit interpretanda, fere omnes consentiunt. Nam de priorum Nubium adversa conquerens fortuna magnopere se de spe sua et exspectatione depulsum esse dicit. Ex quo tempore enim a sapientibus elegantibusque viris Epulones, prima sua fabula, quam ipse admodum adolescens docere non potuerit et propterea amico tradiderit, benigne sit audita et a spectatoribus ingenti plausu et approbatione excepta, nunquam se de Atheniensium sollertia et in judicando subtilitate dubitavisse: tamen nuper optimam suam fabulam — Nubes priores dicit — praeter exspectationem cecidisse. — Qua in re unus negotium exhibet Fritzschius[11]) hinc apparere

---

[10]) Sequor in hac re Bergkium, qui de posteriore Vesparum parabasis parte egregie mea quidem sententia meritus est. Cf. ejus Fragm. Aristoph. p. 226 sqq. — [11]) Quaest. Aristoph. p. 316.

dicens „unam tantummodo fabulam, tempore primam, Daetaleuses alius poetae nomine, Philonidis scilicet, inscriptam esse.“ Hoc quomodo defendi possit, ipse viderit. Nam si quis Schillerum nostrum, ex quo Latrones scripserit, semper populo gratum fuisse et acceptum dicat, nemo opinor eum hanc unam ab illo conscriptam esse tragoediam putare censebit.

Sed profecto tempus est accedere ad Equitum parabasin, qua tanquam arce et propugnaculo ad suam opinionem defendendam Fritzschius utitur: quam si cum nostra sententia omnibus numeris optime congruere ostendemus, magnam operis partem confecisse videbimur. Quod multi vestrum, inquit, saepe mirabantur, cur non jam diu chorum pro me ipse (καθ' ἑαυτόν) a praetore petivissem, id ego profecto non stultitia commotus feci, sed duabus de caussis: noram enim non minus rei ipsius difficultatem quam vestram in aestimandis poetis mobilitatem et inconstantiam. Etenim bene sciebam Magnetem, qui plurimos aemulos vicerat et lepidissima argumentorum varietate spectatores delectaverat, tamen a vobis senem proditum et ejectum; deinde Cratinum, poetam magnificentissimum, cujus carmina in conviviis et comissationibus canebantur, postea a vobis contemptum et sine ulla misericordia post tot tantasque victorias de summo honoris gloriaeque fastigio deturbatum; Cratetem denique, hominem vestrae superbiae patientissimum et ipsa fortasse ingenii mediocritate vobis acceptissimum, tamen saepissime a vobis et crudeliter vexatum esse et fastidiose repudiatum. Et haec quidem altera fuit caussa, cur tamdiu mihi cunctandum esse censerem; alteram in eo positam esse existimate, quod artem comicam difficillimam esse intelligebam. Itaque primum remigis, deinde proretae munus suscipiendum et ventorum flatus perdiscendos, h. e. et meam facultatem et vestram benevolentiam tentandam esse arbitrabar, priusquam ipse ad gubernacula accederem. Et propter hanc modestiam et prudentiam, quod temere et arroganter in hunc frequentem vestrum consessum irruere noluerim, plausum vestrum atque acclamationem laetissimam meo jure exspectare mihi videor. — Haec ut de histrione dici posse Fritzschio libenter concedimus, ita necessario sic intelligenda esse negamus: immo rectius profecto et simplicius de poeta accipientur, qui primam fabulam ipse docuerit. Et primum quidem χορὸν αἰτεῖν καθ' ἑαυτόν pertinaciter Fritzschius ita explicari jubet, ut poetam choro ab archonte petito ipsum primas partes fabulae agere voluisse cogitemus: cujus quidem consilii in ipsis verbis nullum equidem reperio vestigium. Quum enim χορὸν αἰτεῖν sit chorum petere, χορὸν αἰτεῖν καθ' ἑαυτόν recte eum interpretabimur, qui chorum ideo petat a praetore, ut ipse fabulam suam doceat. Idem est quod in Vespis ponitur κινδυνεύειν καθ' ἑαυτόν (1021): quem locum Fritzschius quum ad Babylonios referendum esse censeat, ne potest quidem eodem modo interpretari. Sed de hac re jam permulti ita disseruerunt, ut nulla praeterea opus sit admonitione. Deinde vero facere non potui, quin magnopere mirarer Fritzschium, virum doctissimum et de Aristophane optime meritum, partium quodam studio tantopere obcaecatum fuisse, ut a protagonista,

non a poeta chorum in scenam induci contenderet[12]). Ut enim illud taceam, quod nemini persuadebit, chorum in scenam induci — nam in orchestra ille munere suo perfungitur —, a protagonista chorum introduci quis unquam fando audivit? Namque εἰςάγειν τὸν χορόν proprie eum tantum dicebant Graeci, qui chorum docuisset et sua opera exercuisset. Quae res si ullo documento eget, satis confirmatur ab ipso Aristophane, Acharn. v. 10: ὁ δ' (praeco) ἀνεῖπεν εἴςαγ', ὦ Θέογνι, τὸν χορόν. Eundem enim illum Theognidem irridet, cujus inter malos tragicos in Thesmophoriazusis v. 170 mentionem fecit: ὁ δ' αὖ Θέογνις ψυχρὸς ὢν ψυχρῶς ποιεῖ. Quod si quis de Theognide non solum poeta, sed etiam primarum actore velit interpretari, ea conferat quae in eandem sententiam dicta saepissime apud Platonem inveniuntur[13]). Et sic cetera quoque in Equitum parabasi, quae Fritzschius[14]) in histrionem tantummodo convenire dicit, rectius ad poetam hoc loco referuntur. Veluti verbum ἐκβάλλειν (v. 525) proprie quidem idem valet quod apud Romanos *histrionem explodere*, sed saepissime, ut Romanorum *ejicere*, ad poetas, oratores, multos alios pertinet[15]); neque magis quisquam verbum εἰςπηδᾶν (v. 545), etiamsi optime histrionem in scenam irruentem significet, apte et commode etiam de quovis homine temere et inconsiderate ad aliquam rem suscipiendam quasi cum furore quodam prorumpente dici posse negaverit. Sed sufficiant haec: non enim docere decet virum doctissimum, qui nihil horum non ipse optime sine ulla nostra admonitione percipiat, sed animi quodam ardore et impetu abreptus planam et perspicuam poetae orationem paullulum ad suam opinionem studeat detorquere.

Itaque si perlustratis iis quae poeta de fabularum suarum ratione memoriae prodidit — nam Acharnensium quidem parabasin consulto ad tempus omittimus — ipsum in sua caussa gravissimum profecto et locupletissimum testem audimus, constat eum omnes quas ante Equites edidit comoedias non ipsum docuisse, sed amicis docendas tradidisse; constat aut certe veri simillimum est eum Equites induxisse quidem ipsum, sed primas partes in ea fabula non egisse. Plura vero ex iis quae de se et carminum suorum fortuna dicit erui non possunt: neque enim eos nominat, quibus comoedias suas donaverit, neque indicat, uni an pluribus eas et quam cuique commiserit. Quocirca in hac disputationis nostrae parte ad aliorum fidem confugiendum est, et eorum quidem, qui de fabulis poetae tanto temporis intervallo ab ipso disjuncti confidentius plerumque quam prudentius disputaverunt. Qui si ea

---

12) Quaest. Arist. p. 314. — 13) Rep. 2, 381 D: μηδεὶς τῶν ποιητῶν ἐν τραγῳδίαις -- εἰςαγέτω Ἥραν ἠλλοιωμένην. De Leg. 8, 838 C: ὅταν ἢ Θυέστας ἤ τινας Οἰδίποδας εἰςάγωσιν ἢ Μακαρέας τινὰς ἀδελφαῖς μιχθέντας λαθραίως κτλ. 7, 817 C: μὴ δόξητε (poetas alloquitur) ἡμᾶς ῥᾳδίως γε οὕτως ὑμᾶς -- ἐάσειν σκηνάς τε πήξαντας κατ' ἀγορὰν καὶ καλλιφώνους ὑποκριτὰς εἰςαγαγομένους κτλ. Qui vero histriones in scenam, idem etiam chorum in orchestram inducebat. Neque minus ea quae Socrates dicit in Apologia 35 B: καταψηφιεῖσθε τοῦ τὰ ἐλεεινὰ ταῦτα δράματα εἰςάγοντος, a poetarum similitudine petita sunt. Unde etiam Schol. Arist. Pac. 657: κωφὸν γὰρ εἰςάγει (Aristophanes) τὸ πρόςωπον. — 14) De Daetalens. p. 16 sqq. Quaest. Aristoph. l. c. — 15) Cf. Demosth. 21, 87. Arist. Nub. 1477 et ea quae nos ad Equit. l. c. adnotavimus.

quae ex aliorum libris in suos transtulerunt immutata servavissent, omnia aut plurima certe de quibus hodie vehementer dubitatur satis comperta haberemus. Namque certissimum videtur Aristotelis *Διδασκαλίας* — sic enim librum inscripserat —, quae saepissime a grammaticis commemorantur, totas accuratissima et religiosissima fide translatas esse ex duplici vetustissimorum monumentorum genere: ex monumentis illis publicis, quibus poetarum victoriae consignabantur, et ex monumentis ut ita dicam privatis, quae choragi si non omnes at certe plurimi ad conservandam suae gloriae memoriam eo cupidius posteris relinquere studebant, quod ipsorum nomina in publicis tabulis non adscribebantur. Nam in publicis illis monumentis, quorum habemus exemplum in inscriptione Fourmontiana[16]) „videmus et archontem et festum“ — quamquam hujus nomen in illa ipsa inscriptione periit — „deinde poetas qui quoque festo certassent et fabularum nomina, et qui cuique a judicibus locus datus esset[17]), postremo actores primarum, ut in Terentii fabulis, designatos[18]),“ choragorum nomina omissa esse. Iam quum in Argumento Agamemnonis Aeschyleae choragus quoque nominetur, omnia vero, quae in Argumentis et scholiis de fabularum victoriis et aliis id genus rebus dicuntur, si non ex ipsius philosophi opere petita, attamen ex illo tanquam ex fonte per rivulos quosdam fluxisse videantur, Aristoteles ita rem videtur instituisse, ut quidquid de tragoediarum comoediarumque commissionibus et ex publicis inscriptionibus et ex choragorum titulis indagari posset, uno quasi corpore conjungeret. Quamquam enim ea quae in choragorum tripodibus inveniebantur etiam a posteriorum temporum grammaticis addi poterant, tamen nullam video caussam, cur iisdem uti noluisse Aristotelem existimemus: cui quum in hoc opere hoc propositum esset, ut ludorum scenicorum memoriam integram et incorruptam ad posteros propagaret, media inter duos ut ita dicam scopulos via tenenda erat, ne quid praetermitteret, quod certis monumentis satis confirmatum videretur, et ne quid conjecturis quamvis veri similibus tribueret. Id quod quum ex aliis permultisque indiciis, tum ex eo facile intelligitur, quod alterius Nubium editionis, quam nos hodie manibus tractamus, quum nunquam ea esset in scenam inducta, ne mentionem quidem in Didascaliis fecerat[19]). Quod vero omnia quae de ludorum scenicorum ratione et poetarum victoriis in Argumentis et scholiis leguntur ex ejus libro tanquam ex fonte aliquo, turbato illo quidem saepissime aliorum incuria, derivata esse diximus, id eo potissimum probatur, quod qui postea in eodem scriptionis genere elaboraverunt omnes non novas quasdam didascalias quibus post illum minime opus esset composuisse, sed librum Aristotelium illustravisse, quaeque in eo obscura aut dubia essent, accuratius definivisse videntur. Et inter hos quidem numerandi sunt Carystius Pergamenus et Dicaearchus; deinde operis Aristotelii vituperator Callimachus, defensor Eratosthenes. Sed ne ex horum quidem libris ea

---

[16]) C. I. I, 353 sq. — [17]) In inscriptione Fourmontiana ille tantum nominatur, qui inter ipsos victores primus fuerat. — [18]) Verba sunt Boeckhii, C. I. I., p. 351. — [19]) Cf. Schol. Nub. 549. 552.

videntur hausta esse quae de fabularum temporibus grammatici tradiderunt, sed ex Aristophanis Byzantii aliorumque commentariis[20]). Et utinam haec saltem integris verbis in suos libros transtulissent, neque suis conjecturis aucta, neque gravissimis erratis obscurata! At quum Alexandrini perfectam quandam et omnibus numeris absolutam harum rerum scientiam habuissent, ii qui postea ex *intactis* variae doctrinae *thesauris* suas narratiunculas delibaverunt, degenerante paullatim et evanescente literarum cognitione, saepissime ne uti quidem iis quae invenissent sciebant: ignorabant propriam verborum notionem; et ea quae legerant suis opinionibus et cogitationibus permiscentes et quasi involventes tantam excitaverunt omnium rerum perturbationem, ut hodie vera a falsis angustissimo limite cohaerentia magis quam disjuncta vel accuratissima diligentia saepe vix possis discernere.

Accedit quod, priusquam hoc opus aggrediamur, per se jam satis arduum et molestum, alia quaedam res, quae in hac ipsa disputationis nostrae parte gravissima videtur, et quam qui ante nos hanc quaestionem tractaverunt non sine aliquo totius caussae incommodo prorsus neglexerunt, necessario est consideranda: quamquam tantum abest ut lucem aliquam ei de qua agimus rei afferat, ut obscuriorem eam reddere et difficiliorem videatur. Quamobrem oro Te atque obsecro, Vir Optime, ne taedio irriti, ut videtur, laboris captus totam hanc viam quam ingressi sumus ut nimis salebrosam deserendam esse censeas: nam etiamsi nos omnia impedimenta superare non potuerimus, non deerunt feliciores qui ea tollant.

Etenim antiquitus fabulam a poeta etiam doctam et saepissime actam esse inter omnes constat. Documento est ipsum nomen *διδάσκαλος*, quo non solum magister chori, sed etiam poeta significatur. Attamen non semper ita res se habebat. Namque jam Aeschylus interdum et multo saepius Sophocles ad *agendas* fabulas histrionum opera utebantur: quam consuetudinem a C. F. Hermanno ad posteriorem demum aetatem referri[21]) magnopere miratus sum. Haud raro poetae variis de caussis fabulas suas aliis etiam *docendas* commiserunt, id quod Aristophanis ipsius et exemplo et testimonio satis notum est; haud raro etiam chori institutionem et exercitationem *solam*, quamquam suo nomine inscriptas fabulas in scenam erant inducturi, magistris quibusdam mercede ad hoc officium suscipiendum conductis tradidisse videntur. Et in tibicinum quidem aliisque musicis certaminibus fere semper choragos conductorum ad eam rem magistrorum opera usos esse luculentissimum Demosthenis in ea quam contra Midiam habuit oratione (21, 17. cf. 63) testimonium

---

[20]) Cf. Boeckh. C. I. p. 350. Ranke De Arist. Vita p. CLVII sqq. Schneidewin. de Hypothesibus tragoediarum Aristophani Byzantio vindicandis. — [21]) De injuriis, quas a Cleone Arist. passus esse traditur, p. 26. Cf. Vit. Sophocl.: *πρῶτον μὲν καταλύσας τὴν ὑπόκρισιν τοῦ ποιητοῦ, διὰ τὴν ἰδίαν ἰσχνοφωνίαν· πάλαι γὰρ καὶ ὁ ποιητὴς ὑπεκρίνετο.* Et jam Aeschylum histriones habuisse testatur Vit. Aesch.: *ἐχρήσατο δὲ καὶ ὑποκριτῇ πρῶτον μὲν Κλεάνδρῳ, ἔπειτα δὲ καὶ τὸν δεύτερον αὐτῷ προσῆψε Μυνίσκον,* de quo cf. Athen. 8, 344 D. De Callippide Sophocleo cf. Vit. Soph. et Schöll. Sophocl. p. 87. sq.

satis superque demonstrat. Narrat enim, quum choragi munus sua sponte suscepisset, suum chori magistrum a Midia corruptum institutionem chori et exercitationem ita neglexisse — id quod nemo nisi mercede conductus facere potuit: nam se ipse victoriae gloria privavit — ut, nisi Telephanes tibicen illius officium voluntarius suscepisset, insignem cladem et tribus et ipse choragus accepturus fuerit. Eodem modo autem tragici et comici poetae haud raro, si aut suam in ea re minus commodam fore operam arbitrarentur aut temporis angustiis aliove impedimento ne id facerent prohiberentur, magistris conductis ad instituendos choros uti solebant. Id quod dilucide docet Vita Aeschinis, quam in Bekkeri editione legimus p. 245 sq. Namque ex illa (246, 13 sqq.) Ischandri tragici poetae tritagonistam aliquando fuisse Aeschinem cognoscimus et Oenomai partes agentem, quum Pelopem personatum in scena persequeretur, turpiter humi procubuisse et a Sannione chorodidascalo erectum esse (ἀναστῆναι ὑπὸ Σαννίωνος τοῦ χοροδιδασκάλου). Et de isto quidem Aeschinis casu tot tamque gravia habemus alia testimonia, ut de ea re dubitari non liceat. Sannionem autem illum Demosthenes (21, 58. 59) choris tragicis instituendis quaestum fecisse et a multis choragis hunc in usum conductum fuisse narrat; Ischandri mentionem fecit 19, 10, τὸν Νεοπτολέμου δευτεραγωνιστὴν eum fuisse dicens; unde Suidas s. v.: Ἴσχανδρος, τραγικὸς ὑποκριτής. Eundem enim et poetam et histrionem fuisse Harpocration docet, quum turpem illum casum Aeschinis commemorans de Ischandro non ut de poeta, sed ut de tragoedo loquitur: Ἴσχανδρος· τραγικὸς ὑποκριτής. δοκεῖ δ' αὐτῷ συνυποκρινόμενος Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ ἐν Κολλυτῷ καταπεσεῖν, καθά φησι Δημοχάρης ἐν τοῖς Διαλόγοις. Quid? quod talis chori magister non solum διδάσκαλος et χοροδιδάσκαλος, sed etiam ὑποδιδάσκαλος appellabatur: quo nomine a poetis ut propriis chororum praeceptoribus homines in eum usum conducti apertissime distinguebantur[22]). Quae consuetudo non Demosthenis demum temporibus invaluisse, sed jam aliquanto antea et orta et recepta esse videtur: siquidem Plato seu quisquis alius Ionem qui ejus nomine vulgo inscribitur composuit, ὁρμαθὸν πάμπολυν χορευτῶν τε καὶ ὑποδιδασκάλων (536 A) cum poetis plerumque conjunctum commemorat. Eum vero qui mercede conductus chori institutionem susceperat et agendae quoque fabulae rationem moderari solebat, quandoquidem Sannio ille actorem in scena prolapsum auxilio suo erexisse traditur: talem igitur hominem, qui non honoris et gloriae, sed pecuniae caussa operam suam aliis locavisset, fabulis poetae inscriptum esse et hoc modo victoriam ipsum reportavisse, poetam autem justo meritoque laboris fructu prorsus privatum esse quis unquam crediderit? Immo, ni omnia me fallunt, iste mercede accepta et contentus erat et satis honoratus videbatur, poeta victoriae gloriam summo jure sibi vindicabat.

Itaque poeta fabulam quam ipse dare vel verecundia vel alia de caussa prohiberetur aut amico ita docendam tradere, ut illi etiam victoriae honorem concederet, aut chori magistrum reique scenicae moderatorem (Regisseur) mercede con-

---

[22]) Cf. Phot. et Hesych. s. v. Polluc. 4, 106.

ducere poterat, qui fabulam in scenam induceret ita, ut poetae laus sua et praemium maneret. Sed sive poeta sive alius quis fabulae commissionem susceperat, poterat ille quidem etiam partes aliquas ipse in scena agere, at non erat necessario res ita instituenda.

His igitur praemissis si ad propositum redeamus et quid ex illa testimoniorum multitudine[23]) utilitatis capiatur quaeramus, primo quidem adspectu non multum inde proficere videbimur. Nam praeter tria nomina Philonidis, Callistrati, Apollodori[24]), qui histriones Aristophanis fuisse dicuntur, nihil fere comperimus, quod non jam ab Aristophane ipso melius et accuratius didicisse videamur. Attamen hoc ipsum, quod poetae ipsius testimonia illorum consensu si non confirmantur — eo enim non opus est — at certe quodammodo comprobantur, minime contemnendum est. Primo loco ponimus schol. Vesp. 1031[25]), qui diserte Equites *primam a poeta* ipso non actam, sed in certamen commissam esse dicit; ex quo idem quod supra demonstravimus sequitur, Epulones, Babylonios, Acharnenses non ab Aristophane, sed per alium aliquem esse doctas. Deinde non unius alicujus, sed duorum virorum auxilio poetam in tribus illis fabulis docendis usum et certam quandam rationem in hac re secutum esse cognoscimus: quamquam quae fuerit illa ratio et utri quamque concesserit, certo indicare non possumus: variant enim testes nostri in hac re vel maxime. Tum hanc consuetudinem etiam postea a poeta retineri videmus: nam Plutum postremam esse fabulam quam ipse docuerit, Cocalum et Aeolosiconem filio eum Araroti docendas tradidisse certissimo didascaliarum testimonio confirmatur[26]). Praeterea Philonidem eodem anno duabus Aristophanis fabulis, quacunque ratione id factum est, docendis operam dedisse constat, Vespis et Proagoni[27]); quin etiam victoriam hac commissa ipse reportavisse dicitur. Denique ex Ranarum Argumento — quamquam hic non omnes libri consentiunt[28]) —

---

[23]) Sunt vero ea quae ad quaestionem nostram illustrandam aliquid conferre videantur haecce: Prol. de Comoed. (in Duebneriana schol. Arist. ed.) III, 49 sqq. ibid. XI, 11 sqq. XII, 9 sqq. XI, 76 sqq. XII, 36 sqq. XIII, 14 sqq. Phot. p. 498, 15. Suid. v. Σαμίων ὁ δῆμος. Argum. Ach. I fin. Arg. Eq. II fin. Schol. Nub. 510. 531. Argum. Vesp. I fin. Schol. Vesp. 1018. 1031. Arg. Pac. I fin. Arg. Av. I et II. Arg. Lysistr. I fin. Arg. Ran. I fin., ubi non est negligenda Aldinae discrepantia; Arg. Plut. IV. Schol. Plut. 179. Cf. praeterea Plut. Vit. Isocr. 839D, 46. 47 ap. Duebn. Athen. 5, 216D. Schol. Eurip. Androm. 446. — [24]) Philonidis et Callistrati nomina passim inveniuntur; Apollodori in uno Pacis Argumento: τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος. — [25]) δηλοῖ ὅτι αἱ διδασκαλίαι ἴσως φέρουσι τοὺς Ἱππεῖς πρώτους ὑπ' αὐτοῦ καθιεμένους (ὑπ' αὐτοῦ dixit, non δι' αὐτοῦ). cf. ad v. 1018. — [26]) De Comoed. XI, 76 sqq.: ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι (Plutum dicit) συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον, παῖδας καταλιπὼν τρεῖς, Φίλιππον καὶ Νικόστρατον καὶ Ἀραρότα, δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον. cf. XII, 36 sqq. Arg. Plut. IV: τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι' αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα. — [27]) Arg. Vesp. I fin.: ἐδιδάχθη (Vespae) ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πθ' Ὀλυμπιάδι, δεύτερος ἦν, εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης Προαγῶνι, Λεύκων Πρέσβεσι τρίτος. — [28]) Arg. Ran. I: ἐδιδάχθη ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Ἀντιγένη διὰ Φιλωνίδου εἰς Λήναια (Ald.: Φιλωνίδης

Philonidis nomine hanc fabulam in didascaliis inscriptam fuisse cognoscimus: quae res confirmari quodammodo eo videtur, quod schol. Plut. 179 ejusdem nomen sive compluribus sive omnibus Aristophanis comoediis — ambigue enim loquitur: quamquam illud sane veri est similius — inscriptum esse testatur.

Cetera quae illis quos indicavimus locis narrantur verane an falsa sint, nisi alia accedant certiora et firmiora testimonia, dijudicare non possumus, quoniam in omnibus fere anceps quaedam et subobscura legitur locutio, de qua, priusquam ultra progrediamur, accuratius disputandum videtur. Narrant enim poetam saepissime fabulas *διὰ Φιλωνίδου* vel *Καλλιστράτου διδάξαι* sive *καθεῖναι*, h. e. per Philonidem vel Callistratum docuisse et in certamen commisisse. Qua in re miror Bergkium[29]) usque eo progressum esse, ut nunquam histrionem h. e. protagonistam, cujus opera in fabula agenda usus esset poeta, sed semper eum esse intelligendum contenderet, qui pro poeta et hujus quasi munus suscipiens ipse suo nomine fabulam et docuisset et in scenam induxisset. Etenim si in hac sententia constare sibi vellet, quodammodo coactus erat, ut paene omnes Aristophanis fabulas non ab ipso, sed ab aliis datas esse perhiberet. Itaque ut duas vel tres omittam, de quibus propter testimoniorum penuriam aliqua restat dubitatio, nullam praeter Equites, Pacem (fortasse utramque), Plutum fabulam ab Aristophane ipso doctam esse affirmat. Nimirum optimo jure Amipsias Aristonymus Sannyrio poetam irrisissent, si centies aliis gloriam victoriae tradidisset, ipse ter quaterve vicisse satis habuisset[30]). Sed in hac re vehementer Bergkium erravisse haud ita difficile est ad demonstrandum. Grammatici enim illa dictione in utramque sententiam usi sunt. Duo locupletissima sufficiant testimonia. Argumentum Pluti ad vetustissimarum didascaliarum exemplum proxime accedere et Boeckhius[31]) docuit et omnes opinor concedunt. In illo vero hanc postremam fabulam legimus poetam *suo nomine* inscriptam (*ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι*) docuisse, actam autem esse ab Ararote filio, quem hac ratione spectatoribus voluerit commendare; ceteras *per hunc ipsum* (Ararotem) eum dedisse (*δι' ἐκείνου καθῆκε*) h. e. ita in certamen commisisse, ut filio docendas traderet; itaque hujus nomine in didascaliis illis vetustissimis inscriptae erant. At eundem Plutum, quem *ab* Aristophane *ipso* doctum, actum ab Ararote esse scimus, *per filium* doctum esse (*Ἀραρότα, δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον*) legimus in Vita Aristophanis (ap. Duebner. XI, 79). Itaque Cocalum et Aeolosiconem suo nomine Araros docuit, in Pluto primas tantum partes egit: nihilominus utrumque eodem modo (*δι' ἐκείνου ἐπεγράφη καὶ ἐνίκα*). *πρῶτος ἦν* cet. Schol. Plut. 179: *Φιλωνίδην δὲ οὐ τὸν ποιητήν φησι τὸν ἐν τοῖς Ἀριστοφανείοις ἐγγεγραμμένον δράμασιν.* Cf. schol. Eurip. Androm. 446: *εἰλικρινῶς τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησιν· ὁ δὲ Καλλίμαχος ἐπιγραφῆναί φησι τῇ τραγῳδίᾳ Δημοκράτην.* — [29]) Fragm. Arist. p. 38 sqq. — [30]) De Comoed. XI, 11 sqq.: *τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἄλλοις πονοῦντα.* Quae paullulum immutata etiam apud alios leguntur. — [31]) C. I. I, 352.

καθῆκε, δι' οὗ ἐδίδαξε) a grammaticis narratur. Nam ne verba καθιέναι et διδάσκειν in hac re inter se differre arbitremur, quamquam initio sane aliquid discriminis fuisse veri simile est, constans et perpetuus non solum grammaticorum, sed etiam veterum scriptorum dicendi usus prohibet: in iis certe quae supra adscripsimus utrumque promiscue et sine ulla sententiae discrepantia positum esse invenimus. Propterea hoc disputationis nostrae quasi fundamentum ponimus — ita si appellare licet id quod natura sua tam infirmum sit et ambiguum — a grammaticis, ubi illa locutione utantur, modo histrionem cujus opera fabula sit acta, modo eum intelligi qui eam docendam susceperit. Qua re etiamsi multo difficilior jam fieri caussa nostra videatur, tamen eadem gravissime, ne quid praepropere et inconsiderate agamus, admonemur.

Transeamus igitur ad singulas Aristophanis fabulas, et qua quaeque ratione et a quo docta videatur, inquiramus. Et Epulones quidem non ab Aristophane doctam esse, quoniam hac de re certissimum habemus ipsius testimonium in Nubium parabasi (528—536), inter omnes constat. Qua in re illud tenendum est, non ita tantum eam comoediam ab Aristophane alii esse traditam, ut is operam ac laborem susciperet, poeta gloriam sibi reservaret, sed totam ut ita dicam cum omni et molestia et victoriae honore amico esse permissam. Quaeritur, a Philonide an a Callistrato data esse videatur. Scholia quidem ad Nub. 531 utrumque nominant: παῖς δ' ἑτέρα. Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος. ἐπεὶ οὐ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα. -- δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος, οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους. Quae mihi quidem summam videntur habere auctoritatem. Nam quae hic tradunt grammatici, ad eum ipsum locum adnotant, ubi Aristophanes Epulonum non solum fecerat mentionem, sed etiam fortunam ejus fabulae accuratissime exposuerat. Quamvis igitur obscure saepe et negligenter scholiastae loqui videantur, hoc quidem loco, si usquam, summa adhibenda erat diligentia: quum enim alias per occasionem tantum aliud agentes hanc de qua agitur rem attingerent, hic dedita opera eam explanaverunt. Eadem plane atque hic ratione res exponitur in schol. Vesp. 1018: διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου καθίει τινὰ τῶν δραμάτων; quamquam hic jam non de solis Epulonibus, sed de omnibus fabulis ante Equites doctis agi ex iis patet quae statim subjiciuntur: πρῶτον γὰρ δρᾶμα δι' ἑαυτοῦ καθῆκε τοὺς Ἱππέας. Cf. ad v. 1031. Minus diligenter et accurate, quamquam ipse quoque eorum quos modo commemoravimus sententiam confirmat, is egit qui ad Nub. 410 haec adscripsit: ὁ κωμικὸς πρότερον -- δράματα διὰ Φιλωνίδου καὶ Καλλιστράτου ἀνεγίνωσκεν εἰς τὸ θέατρον, ὧν ἓν ἦν τὸ τῶν Δαιταλέων. Hic enim recitationem et actionem fabulae inter se videtur confudisse. Contra et in Vita Aristophanis et in Prolegomenis de Comoedia[32]) aliter res narratur: nam Vitae auctor ordinem nominum invertit, non per Philonidem et Callistratum, sed per Callistratum et Philonidem primas Aristophanis

---

[32]) Apud Duebn. XI p. XXVII, v. 11 sqq. et III p. XV, v. 50.

comoedias doctas esse dicens, alter vero ille diserte primam poetae fabulam per Callistratum datam esse perhibet.

Iam si gravitatem testimoniorum spectemus et singula momentis suis ponderemus, mihi quidem haud dubium videtur, quin iis assentiendum sit, qui Nubium locum explicarunt. Veri enim simillimum est ad illum locum jam antiquitus veterum et diligentissimorum interpretum cura id quod verum esset adnotatum fuisse, contra eum, qui in transitu hanc quaestionem attingeret et ex memoria magis quam ex certorum testimoniorum fide rem illustraret, multo facilius errare potuisse. Itaque illi, quisquis is est, qui de Comoedia scripsit, non tantum tribuendum censeo, ut propter eum quae *prisca fide famaque perenni* a doctis Aristophanis interpretibus accepta et ex horum auctoritate a scholiastis memoriae prodita sunt deserenda videantur. Attamen quum etiam apud hos duo legamus nomina, certe autem unus tantummodo docendae fabulae et committendae onus et periculum in se recipere potuerit: etiamsi priore loco Philonidis nomine posito declarare voluisse videantur ad hunc imprimis laborem illum pertinere, tamen quum Bergkius contra ceteros obstinate a Callistrato Epulones doctam esse contendat, alia quaedam indicia circumspicere cogimur, ex quibus, utram in sententiam tutius discedamus, satis evidenter appareat.

Consuetudinem illam fabulas suas amicis tradendi neque primus neque ultimus Aristophanes secutus est: sed fuere et ante eum multi et post eum, qui in earum commissione in occulto se retinere quam in conspectum multitudinis prodire mallent. Quaerentibus vero, quibus de caussis Aristophanes quoque aliena opera usus aliis sui laboris fructum permiserit, ipse in Nubium parabasi modestia id factum esse respondet; juvenili enim verecundia se prohibitum esse dicit, quominus primam quam scripsisset fabulam ipse in scenam induceret. Habemus igitur poetam adolescentem, qui vixdum puerili aetate relicta divino spiritu incitatus carmen praeclarum composuit, sed quomodo id spectatoribus placiturum sit tam vehementer dubitat, ut id spectatae hominis exercitati et multum talibus in rebus versati prudentiae potius committendum quam dubiam et ancipitem novi hominis fortunam periclitandam esse existimet. Itaque non multum a vero aberrasse videbitur qui Aristophanem eam fabulam, quam, sicuti plurimi homines studiorum suorum primitias maxime diligere solent, summo studio et tenerrimo amore amplecteretur quaque victoriam reportare vehementissime cuperet, et amico homini et poetae tradidisse statuerit, qui suis jam comoediis populo gratus et acceptus prosperum primae fabulae successum ipso nomine praestare videretur. Quum ergo Callistratum poetam fuisse certis argumentis demonstrari non possit, Philonides vero et poeta comicus fuerit[33]) et cum Aristophane tribus pagique communione conjunctus[34]), siquidem uterque Cydathe-

---

[33]) Fragmenta invenies ap. Meinekium (Fragm. Com. graec. ed min.) I, p. 156 sqq. — [34]) Cf. Hanov. l. c. p. 1. Fritzsch. de Daetal. p. 12.

naeo oriundus fuit tribus Pandionidis pago: per Philonidem datam esse Epulonum comoediam adeo est veri simile, ut paene pro certo possit affirmari.

At ex iis ipsis scholiastarum locis, quibus plurimum tribuendum esse supra diximus, non per unum aliquem, sed per Philonidem *et* Callistratum Epulones doctam esse apparet: quae res ita explicari non potest, ut istos Graeculos, qui saepissime doctrinae mediocritate a vero aberraverint, etiam hic ad falsam aliquam opinionem antiquiorum interpretum verbis male intellectis deductos esse dicamus: nam unam fabulam a duobus doceri non potuisse tam facile est ad perspiciendum, ut ne isti quidem in ea re decipi potuerint. Itaque Callistrati quoque in Epulonum fabula aliquas fuisse partes constat. Et quoniam fabulam *διά τινος διδάσκειν* duplici ratione a grammaticis dici demonstravimus, alteram ad Philonidem, alteram ad Callistratum pertinere existimaverim. Docuit igitur Epulones et in certamen commisit Philonides, quippe qui ipse poeta si non nobilis at certe notus et praeterea tribulis Aristophanis esset; primas in ea partes egit Callistratus, comoedus illo tempore non mediocris. Philonides vero postea demum, magis in dies crescente Aristophanis gloria et inferiorum poetarum famam obscurante, histrio videtur factus esse: quo illud scholium referendum esse existimo, cujus auctor *postea,* h. e. post Epulonum commissionem, Philonidem et Callistratum histriones Aristophanis fuisse docet.

Quas post Epulones comoedias scripsit Aristophanes, Babylonios et Acharnenses, earum ratio ita conjuncta est et tam arcte colligata, ut discerni et divelli non posse videantur. Neutram ab ipso poeta doctam esse ex iis constat quae supra demonstravimus: quod in Argumento Acharnensium legimus, fabulam per Callistratratum (*διὰ Καλλιστράτου*) in certamen esse commissam, triplici modo intelligi potest: ut Callistrato aut tam periculum quam gloriam fabulae docendae permissam, aut nihil nisi negotium chori instituendi traditum, fabulam ipsam nomine Aristophanis datam et inscriptam esse, aut denique Callistratum primas in ea partes egisse statuamus. Itaque, quum praesertim supra parabasin ejus comoediae ad tempus omiserimus, videndum est, numquid de ea re poeta ipse tradat. Totum vero locum, quoniam apud nos Graecorum typorum non magna est abundantia, Frischliniani autem anapaesti hodie vix ab ullo feruntur, ex mea interpretatione adscribam. Cujus audaciae, Vir Optime, veniam a Te spero me impetraturum. Haec igitur est oratio poetae.

*Ex quo trygicis coepit gregibus noster praeesse magister,*
*Indignum habuit coram tanto se ipsum laudare theatro.*
*Sed ad instabiles animi cives obtrectatoribus istis*
*Reprehensus, quod populum atque urbem ludat dictisque lacessat,*
*Respondet: scit enim vos animum monitos mutare libenter.*
*Magnos vero dicit honores se jam meruisse poeta*
*Vos saepe monens, ne peregrinos nimio acciperetis amore*
*Oratores, qui vos fallunt praeconia vana ferentes.*

*Nuperrime enim decipientes legati vos Siculorum[35])*
*Violis redimitos celebrabant: quod si quis diceret, aures*
*Praebebatis patulasque nates, violae dulcedine capti.*
*At si quis blanditiarum auceps lautas dixisset Athenas,*
*Quidvis poterat petere a vobis, apuarum laude beatis.*
*Sic semper agens patriae pacisque salutisque exstitit auctor,*
*Populosque docens plerumque viris popularibus excruciari[36]).*
*Quapropter qui ex sociis veniunt referuntque tributa quotannis,*
*Ante omnia conspicere insignem cupient virtute poetam,*
*Qui justitiae caussam in populo capitis discrimine dicit.*
*Tam late autem longeque viri tam audacis fama vagata est,*
*Ut rex Asiae modo legatos tentans Lacedaemoniorum*
*Primum cupide exploraret, utri potiores navibus essent;*
*Post haec, in utros hic conjiceret vates convicia multa.*
*Dicebat enim fore eos multo virtute homines meliores*
*Tandem et bello superaturos, quos consilio ille juvaret.*
*Propterea nunc Lacedaemonii pacem componere prompti*
*Unam Aeginam exposcunt sibi, non desiderio pereuntes*
*Orae illius, sed ut hic vobis nequeat prodesse poeta.*
*Sed vos retinete omni studio: nam justa tuebitur usque*
*Censuram et aget morum graviter vobis, reddetque beatos*
*Non blanditiis neque muneribus neque vanae laudis amore;*
*Nec prava teget fucum faciens: verum optima quaeque docebit.*
*Jam ut vult struat insidiasque Cleon,*
*Catapultasque in me exaedificet.*
*Pro me pietas certe et honestas*
*Propugnabunt; neque dicar ego*
*Scelere evertisse meo patriam,*
*Truculentus ut iste tyrannus.*

In his noli suspicari, Vir Optime, mea culpa Graeca in latinum sermonem transferentis fieri, ut initio parabasis de *magistro*, postea de *poeta* chorus loquatur. Consulto enim Aristophanes initio solum magistrum, postremo solum poetam fabulae commemorari voluit, mediam orationem ita instituit, ut conjuncta utriusque caussa et arctissime colligata esse videretur. Et cave putes ex illa satis usitata dicendi consuetudine[37]) chori magistrum pro poeta nominatum esse: id quod tum modo fieri potest, quum poeta etiam chori exercendi munus suscepit. Aristophanes autem eo tempore fabulam ipse nondum docuerat: primam enim Equites in scenam induxit. De eo igitur qui nunquam antea chori magister fuisset, apte profecto non poterant dici haecce: *Ex quo trygicis noster gregibus coepit praeesse magister,*

---

35) Cf. Bergk, Fragm. p. 80. 81. — 36) Cf. Bergk l. c. p. 83. — 37) Cf. Pac. 734 sqq.

*indignum habuit coram tanto se ipsum laudare theatro.* Quocirca, etiamsi nos non admodum adversantes habebit, si quis Athenienses, quis Epulones edidisset, non diu ignoravisse et Aristophanis gloriam jam ante Babyloniorum commissionem longe lateque pervagatam esse contenderit: tamen illos versus ad eum tantum referri potuisse pro certo ponimus, qui chori docendi et exercendi negotium non solum in Acharnensium fabula edenda suscepisset, sed qui jam saepe vel in Aristophanis vel in aliorum poetarum comoediis idem officium praestitisset. Nam diu eum versatum in hoc negotio artisque peritissimum fuisse ex chori verbis facile colligimus: etiamne poeta praeterea fuerit — id quod alii ajunt, alii negant —, ex hoc quidem loco cognosci non potest. Deinde calumniis exagitatum magistrum queruntur Acharnenses ab inimicis senatum populumque Atheniensium ab eo irrisum esse simulantibus, et propterea veniam sui excusandi petere dicunt. Quam quidem excusationem ita proferunt, ut etiam ad poetam fabulae pertineat. Iam vero quum totum hunc locum ad Babylonios spectare, quam anno ante Acharnenses ediderat, inter omnes constet: simul et hoc patet, eodem usum esse Aristophanem et in Babyloniis et in Acharnensibus docendis chori magistro. Et quoniam Argumentum Acharnensium per Callistratum eam doctam esse comoediam testatur, nullam profecto video caussam, cur de hac re dubitemus. Fuit ergo et in Babyloniorum et in Acharnensium commissione Callistratus chori magister.

Ut vero primam parabasis partem sine ulla dubitatione ad Callistratum referendam esse censuimus, ita extremos ejus versus ad eundem pertinere obstinate negamus. Adhortatur enim chorus spectatores, ne a poetae amicitia deficiant: semper eum in comoediis quod aequum justumque sit defensurum et nihil aliud quam communem omnium salutem et reipublicae dignitatem respecturum esse, neque unquam Cleonis minis perterritum virtutis et probitatis caussam proditurum. Haec inepta sunt, si de chori magistro, aptissime dicta, si de poeta cogites. Namque poeta ipse ut ita dicam edictum perpetuum publice proponit, ad cujus normam artem suam se exerciturum esse promittit: prudentissimum sane inventum, praesertim si ab hoc tempore ipse fabulas docere constituerat. Quod confestim unum verum esse etiam dubitanti apparebit, ubi alias in quibus virtutem suam et erga rempublicam merita praedicat, veluti Equitum et Nubium, imprimis autem Vesparum et Pacis parabases comparaveris. Non enim, quomodo usurus, sed quomodo usus sit ingenii viribus, ubique profitetur; non promissa facit, sed ingenuam quandam confidentiam prae se fert meritae gloriae conscientia partam. Accedit quod in Acharnensibus non solum, quam rationem in *omnibus* fabulis postea docendis secuturus sit, accurate exponit, sed etiam quo consilio comoediam proximo anno edendam composuerit, aperte indicat v. 301, ubi equitum in gratiam Cleoni corium fortiter se concisurum esse chorus pollicetur. Itaque quum in eadem parabasi modo de chori magistro ita loquatur, ut ea quae dicit ad poetam referri nullo modo possint, modo quid poeta per totam vitam in arte exercenda sibi proposuerit, nulla jam magistri habita ratione pronuntiet: veri simillimum profecto videtur utriusque in Acharnensium fabula operam

satis notam fuisse spectatoribus, et doctam quidem esse eam comoediam a Callistrato, inscriptam vero prodiisse ipsius Aristophanis nomine.

Multo difficilius est dicere, quae fuerit ratio Babyloniorum. Tangit hanc tabulam poeta etiam alio Acharnensium versu (377), ubi qui Dicaeopolidis personam sustinet: „Ipse“ inquit „probe scio, quantas Cleonis injurias propter comoediam superiore anno editam perpessus sim. Nam in curiam obtorto collo abreptum omne genus calumniis et falsis criminibus innocentem circumvenire studebat et mendaciorum impudentissimorum flumine ita quasi perfundebat, ut in lutulento conviciorum coeno paene perierim.“ Dubitant, haec ad Callistratum an ad poetam sint referenda. Ego vero primarum actorem, quem in Acharnensibus Aristophanem non fuisse constat, de poeta tanquam de se, prima persona quam dicunt usum loqui potuisse tamdiu negabo, donec aliquis locum protulerit, qui manifesto me erroris convincat. Ubicunque enim de se poeta habet quod spectatores scire velit, choro internuntio et interprete utitur[38]; nunquam quod sciam protagonista. Neque hoc, si quid video, ullo modo fieri potuit. Coactus enim esset histrio personam ut ita dicam detrahere et aliam coram spectatoribus induere. Talem vero in summa artis comicae libertate licentiam nunquam Athenienses, mihi crede, tulissent. Contra optime verba illa ad ipsum primarum partium actorem referentur. Is enim quum cum ea quam gerebat persona in unum quasi corpus coaluisse videretur, facillime narrare poterat quae non ad eum cujus personam sustinebat, sed ad se ipsum pertinerent. Sic etiam Callistratus, quem in Babyloniis primas egisse supra demonstravimus, in Acharnensibus sua fata, sua pericula spectatoribus narrabat.

Is igitur a Cleone correptus et in curia apud quingentorum senatum, cujus arbitrio poetae scenici subjecti erant, acerrime accusatus est, quod coram sociis — nam Babylonii Dionysiis acta erat — populum Atheniensium et magistratus gravissimis conviciis lacessivisset. Qua in re Callistrati caussam cum poetae fortuna copulatam quodammodo fuisse jam supra demonstravimus: nam Acharnensium senes eodem modo in parabasi Aristophanem atque chori magistrum contra inimicorum calumnias defendunt. Neque enim Callistratus tanti criminis invidiam solus patienter laturus fuisse, neque poeta honestatem et animi magnitudinem, qua semper excelluit, adeo omnem exuere potuisse videtur, ut amicum pro se cum potentissimo adversario conflictantem solum tanto periculo objiceret. Quamquam igitur Cleon illum qui fabulam docuerat unum accusavisse, poetae initio pepercisse videtur: tamen postea hujus in ea re cum Callistrati fortuna consociata est et conjuncti Cleonis injurias experti sunt. Itaque jam tum Aristophanes quoque simultatem, eamque acerbissimam cum Cleone gerebat, ut in Acharnensibus chorus mox multo acriorem impetum illi sustinendum fore aptissime minari posset[39]).

Illud vero in dubio relinquere testimoniorum penuria cogimur, Babylonii

---

[38]) Cf. Vesp. 1284 sqq. Pac. 754 sqq. Ach. 301. — [39]) Ach. 300. cf. quae diximus in praef. Eq. p. 22.

eodemne modo atque Epulones a poeta amico donata sit an docendam tantum Callistrato commiserit, suo tamen nomine inscriptam. Qua in quaestione absolvenda non multum adjuvamur Equitum parabasi: videtur quidem in hac poeta tres in arte comica perfectionis quasi gradus distinguere, initio se remigem, deinde proretam fuisse et ventis observandis operam dedisse, tunc demum ipsum ad gubernacula accessisse dicens: unde facile conjicias poetam initio Epulones *scripsisse* tantummodo, docendam cum omni et periculo tanti suscepti et gloria Philonidi tradidisse; postea Babyloniis et Acharnensibus editis ipsum sibi victoriae gloriam reservasse, chori docendi et exercitandi negotium Callistrato mandasse; in Equitum denique commissione etiam chori magistri munus officiumque suscepisse. Attamen nulla est caussa, cur in Babyloniis quoque nihil nisi remigis vice functum eum esse totamque fabulam Callistrato permisisse negemus. Nam si quis in eo offendat, quod supra ad Epulolones docendam Aristophani poetam quaerendum fuisse diximus, Babylonios vero a Callistrato commissam esse concedimus, qui histrio tantummodo clarissimus fuisse videatur[40]): is velim animadvertat aliter rem se in Epulonibus, aliter in Babyloniis habere. Postquam enim Epulones si non primum, at certe secundum praemium tulerunt, suis jam viribus confidere Aristophanes et in Babyloniis dandis illa cautione et circumspectione carere poterat, qua uti eum decebat, quum nullo dum experimento de ingenii sui praestantia edoctus primum in certamen esset descensurus.

Postquam Acharnensibus data secundo flumine poetam popularis aura provexit, Equitum comoediam in scenam induxit: quam ab ipso Aristophane doctam esse ita constat, ut nemo unquam hac quidem de re dubitaverit. Et paene eadem est prioris Nubium editionis conditio: quam qui *commissam esse* — acta enim sane ab illo videtur — a Philonide contendit[41]), is alterius quam nos habemus editionis parabasin ipse viderit quomodo interpretandam censeat. Itaque his omissis ad Proagonem et Vespas transeamus, quarum caussa ipsa quoque quodammodo est conjuncta. Quoniam autem jam supra de injuriis a Cleone in Aristophanem illatis disputare coepimus, is vero locus ad Vesparum rationem recte intelligendam plurimum valet: priusquam de illis dicamus, haec quaestio videtur esse absolvenda.

Babyloniis igitur commissis Callistratus et cum eo Aristophanes a Cleone in senatu accusati sunt, quod coram sociis Atheniensium et populum et magistratus impudentissime irrisissent. Et in hac quidem caussa, quamquam periculosissimam fuisse personatus ille Dicaeopolis narrat, tamen ad postremum rei videntur absoluti

---

[40]) Quod Bergkius Callistratum non minus poetam fuisse quam Philonidem, sed famam ejus rei jam antiquitus obliteratam esse eo demonstrare sibi videtur, quod etiam Lycidis, veteris comoediae scriptoris, memoria ita evanuerit, ut vel nomen ejus, nisi ab Aristophane semel commemoraretur (Ran. 14), prorsus ignoraremus: id argumentum ego quidem nullius pretii esse existimo. Nam de Lycide isto jam grammatici veterum nihil prorsus compertum habebant, Callistratum saepissime ut Aristophanis amicum et adjutorem commemorant: qui si poeta quoque, non solum histrio fuisset, aliquod certe ejus rei vestigium superesset. — [41]) Bergk, Arist. Fragm. p. 26.

esse. Itaque Cleo, quoniam hoc modo adversarium profligare non potuerat, aliam Aristophani litem dicitur intendisse, quam hic in se illatum iri jam tum comperisse videtur, quum in Acharnensium parabasi (659 sqq.) nunquam se probitatis et honestatis caussam agere desiturum esse scripsit, quamvis graves in se Cleo machinas exstruat. Et veteres quidem grammatici summo consensu peregrinitatis (*ξενίας*) crimen in poetam conjectum esse narrant. Quam rem qui fictam a scholiastis et ad veri similitudinem potius quam ad historiae fidem propagatam esse dicunt, hoc imprimis argumento nituntur, ut eam defensionis rationem, qua in hac caussa Aristophanes usus esse traditur — dicunt eum recitavisse Homeri versus qui leguntur in Odyss. 1, 215 sq. — a judicii severitate non minus quam ab archontis dignitate abhorrere contendant. Sed hoc argumentum ab ipso quodammodo Aristophane infirmatur, qui in Vespis res multo magis ridiculas et a judicum gravitate alienas, veluti fabellas Aesopias et alia ejusmodi ad mitigandos judicum animos adhibita esse narrat (566 sqq.): tragoedum haud fere absolvi, nisi antea pulcherrimum ex novissima fabula carmen recitaverit, tibicinem liberatum quam lenissimis symphoniis gratiam judicibus referre. Quod si non solum permitti a judicibus, sed etiam efflagitari quodammodo solebat, Aristophani si non in defensione ipsa, at certe in peroratione festiva illa excusatione uti licuit. Praeterea, ut re vera crimen illud in poetam conjectum esse a Cleone credam, Eupolidis auctoritate commoveor, qui sine dubio litis illius recordatus ipse quoque Aristophanem propter peregrinitatis suspicionem perstrinxit[42]). Hoc autem crimen cum illa in senatu accusatione non videtur fuisse conjunctum; nam si fuisset, Aristophanes ejus rei in Acharnensium parabasi, ubi reliquas inimicorum calumnias et fallacias enumerat, aliquam sine dubio fecisset mentionem. Quo tempore caussa illa acta sit, definire non ausim; nisi quod post Acharnenses, si vera sunt quae supra diximus, litem intentam esse apparet. Ceterum dubitari non potest, quin hoc quoque crimine poeta sit absolutus: quamobrem Cleo, praesertim quum Equitibus data ad summum furorem esset excitatus, novam tollendi adversarii rationem iniit, si quidem verum est quod Vitae scriptor memoriae mandavit (XI, p. XXVII, 39 sq. Duebn.): *δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε,* quibus quae subjiciuntur: *καὶ οὕτω φανερὸς καταστ αθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος,* quum ad peregrinitatis crimen omnino pertineant, imprudenter etiam ad tertiam injuriam poetae a Cleone illatam videntur a grammatico relata esse.

De hac vero ego quidem sic statuendum esse censeo. Narrat Aristophanes in ea Vesparum parte quae alterius parabasis instar habenda est (1265—1291, cf. imprimis 1284 sqq.) esse quosdam homines, qui se cum Cleone in gratiam red-

---

42) Fragm. inc. 1: *τοὺς ξένους μὲν λέγετε ποιητὰς σοφούς, ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδὲ ἓν χεῖρον φρονῶν ἐπιτιθῆται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν.* Quae quum in ipsa vituperatione satis honorificum de adversario judicium contineant, non ad ignobilem aliquem, sed ad unum ex clarissimis illius temporis poetis pertinere apparet.

iisse opinentur. Et habere eos, quo opinio illa commendari videatur. Nam quum ipse omni modo vexaretur, iis qui extra calamitatem erant Cleonem magna voce clamantem[43]) audientibus, sed nihil aliud quam curiose exspectantibus, num quod poeta dictum in illum proferret, — tanto in discrimine se de aliorum auxilio desperantem impendenti tempestati paullisper cessisse, sed *nunc* profecto vitem palo magnopere esse deceptam (*εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον*). — Ad Equites haec pertinere non possunt. Nam si hoc diceret: post Babylonios se plurimis gravissimisque adversarii injuriis et comminationibus paullisper cedendum putavisse, mox vero Equitibus in scenam commissis, quo in illum esset animo, luculenter docuisse — hoc si diceret, quid, quaeso, spectatorum interesset ea comperire quae tam diu jam cognovissent? Nulla profecto indagari potest caussa, cur eorum quae nemo non optime sciret memoriam tanto post renovandam esse putaverit. Nam talis sententia ut aptissima fuisset in Equitibus, ita inepta videtur et prorsus alieno loco inculcata in Vespis. Quemadmodum injurias a Cleone post Babyloniorum commissionem acceptas statim in Acharnensibus commemoravit; sicut de spectatorum iniquitate post Nubium repulsam in altera ejusdem fabulae editione, et quum hanc docere aut noluisset aut non potuisset, in proxima statim Vesparum comoedia conquestus est, ejusdem vero rei postea memoriam iterum refricare noluit: sic etiam ea quae in altera Vesparum parabasi de nova aliqua injuria narrat, ad aliud tempus quam id quod Vespis erat proximum referri non possunt. Et profecto Equitum acerbissimam irrisionem aequo animo Cleonem tulisse ecquis crediderit? Qui jam modica poetae protervitate et levioribus ut ita dicam comoediarum excursionibus ad tantam irae vehementiam concitatus esset, eum acerrimo impetu lacessitum non esse summa sui ulciscendi cupiditate incensum credemus? Alia igitur post Equites injuria Cleo putandus est Aristophanem affecisse; quae qualis fuerit, ne conjicere quidem cum ulla veri specie possumus. Ea enim utitur verborum ambiguitate poeta, ut aequalibus, qui ipsi vivi videntesque ut ita dicam totam rem spectaverant, satis perspicua essent quae diceret, nos, quibus nullum prorsus de ea re satis certum testimonium superest, quasi per noctem sublustrem vagari nobis videamur. Nescio tamen an eandem rem leviter tangat in Pacis parabasi, ubi severitate in se aliquando adhibita[44]) in eos potius poetas animadvertendum esse dicit, qui se ipsi laudare coram spectatoribus non erubescant. In illo igitur, qualecunque fuit, periculo vela se contraxisse et portum petiisse dicit — scilicet in Nubibus Cleoni aut pepercerat aut obliquas tantum levesque plagas inflixerat —; *jam* vero Vespis doctis, quo in illum esset animo, satis superque ostendisse[45]). Hujus enim fabulae non singulae quaedam partes, sed universa ratio ad irrisionem Cleonis composita

[43]) Sic cum Bergkio explicandum esse hunc locum existimo. Fragm. Arist. p. 49. — [44]) Verbum *ἀποδείρεσθαι* Vesp. 1286 eodem sensu accipio atque in Pace 734 *χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδούχους κτλ.* Ceterum idem quod mihi jam Droyseno video placuisse. — [45]) Vesp. 1291: *εἶτα νῦν ἐξηπάτησεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον.*

est: id quod ex argumento ejus non minus quam ex fictis illis Bdelycleonis et Philocleonis nominibus apparet.

Sed ad id quod propositum erat redeamus. Ex Vesparum didascalia antea depravata, hodie a viris doctis in pristinam formam restituta, fabulam per Philonidem Lenaeis doctam secundum praemium tulisse discimus: primum obtigisse Philonidis Proagoni, tertium Leuconis Legatis. Hac cum didascalia aptissime comparatur titulus Fourmontianus, quem in C. I. Boeckhius exhibuit vol. I, p. 353 sq.: *Ἐπὶ Διοτίμου* (Ol. 106, 3) *Σιμύλος πρῶ..... σίᾳ, ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος δεύτερος Νεκρῷ, ὑπεκρίνετο Ἀριστόμαχος. Διόδωρος τρίτος Μαινομένῳ, ὑπεκρίνετο Κηφίσιος*: nisi quod in hoc numeri non victoriarum, sed commissionum ordinem indicant. Apparet autem ex hoc titulo licuisse tum (Ol. 106) eidem et poetae et histrioni duas per eadem solennia fabulas docere et agere[46]): id quod ad Vesparum didascaliam recte intelligendam plurimum valet. Nam quum Proagonem, quae in Vesparum didascalia commemoratur, non Philonidis, sed Aristophanis comoediam esse constet: quemadmodum Diodorus Ol. 106, 3, sic Aristophanes Ol. 89, 2 duas simul fabulas dedit, Vespas et Proagonem: ambigitur, suone utramque nomine inscriptam dederit. Qua in re non dubito, quin, quod postea licuisse poetis ex titulo Fourmontiano videmus, idem etiam Aristophanis temporibus et tragicis et comicis poetis concessum fuerit, ut plures eodem festo fabulas committerent. Quamquam enim Athenae clarorum poetarum multitudine abundabant, tamen accidere interdum poterat, ut aut singulae singulorum poetarum fabulae praetori oblatae legitimum numerum non explerent, aut inter oblatas essent quas populo non admodum placituras praevideret. Tum igitur decernere, quae agerentur, quae non agerentur, praetoris erat, siquidem etiam Sophoclem et Cratinum, poetarum scenicorum coryphaeos, repulsam ab archonte tulisse scimus: idem ex suo arbitrio etiam duos choros ei poetae concedere poterat, qui duas fabulas aeque egregias in certamen obtulisset. Tamen Aristophanes illo anno non videtur utramque comoediam suo nomine inscriptam docuisse. Quum enim didascalia diserte Philonidem Proagone docta primum victorem declaratum fuisse testetur, dubitari non potest, quin eam suo nomine dederit. Contra in Vespis ille nihil nisi primarum actoris et fortasse chori exercendi officium in se recepit, auctorem se fabulae Aristophanes ipse professus est. Nam in parabasi de prioribus suis et victoriis et cladibus apertissime ad spectatores ita loquitur, ut eum suam ibi caussam, non alienam agere appareat.

Cur autem poeta jam dudum civibus notus et probatus fabulam suam, eamque pulcherrimam — Proagon enim primum praemium tulit — amico commiserit, caussae fingi possunt multae. Sed sive tempus ad duas fabulas docendas non sufficiebat; sive poeta viribus suis diffidebat, ut alteram tantum ipse docere, alteram

---

[46]) Demosthenis aetate Polus septuaginta annos natus octo tragoedias quattuor diebus egit. Plut. Mor. 785 B. Fritzsche, de Daetal. p. 19.

amico tradere mallet; sive Philonidis precibus minisve nisi hac conditione Vespas se acturum negantis commotus illi Proagonem tradidit: de re ipsa dubitare eo minus possumus, quod saepius Aristophanem etiam posteriore tempore comoedias suas amicis donavisse ex ea quam supra commemoravimus Amipsiae, Aristonymi, Sannyrionis cavillatione apparet: qui vix omnes ad illas jamdudum actas ante Equites alieno nomine fabulas respexisse, sed liberalitatem poetae postea quoque sui laboris fructus aliis largientis videntur irrisisse. Neque vero ulla est caussa, cur cum Meinekio in didascalia Vesparum Philonidis in Callistrati nomen mutante Proagonem a Philonide, Vespas per Callistratum doctas esse suspicemur: cur enim Philonidem negemus eodem die et docendae et agendae fabulae munus suscipere potuisse? Dubitandum sane esset, si Proagonem ipse etiam scripsisset: nam qui suam aliquam fabulam doceret, eo Aristophanes protagonista uti vix poterat: verendum enim erat, ne, ut suae victoriam compararet, in aliena comoedia consulto minus diligenter rem gereret[47]. Contra si Athenienses omnes eam quam suo nomine Philonides doceret fabulam Aristophanis esse et ab hoc praemium tantum victoriae Philonidi amico concedi sciebant, nulla erat caussa, cur personam suam in Vespis minus fortiter quam in Proagone sustineret. Talia autem poetarum mysteria Athenis celerrime plerumque in vulgus pervulgata esse ex ipsa Vesparum parabasi optime intelligitur: in qua de omnibus suis comoediis quas antea vel suo vel amicorum nomine inscriptas ediderat ita loquitur, ut utrarumque eum a civibus auctorem habitum esse pateat: utrasque suas esse, nonnullarum tamen quasi usuram se ad tempus aliis poetis concessisse profitetur. —

Sed jam Te, Vir Optime, videre et audire videor magnopere pandiculantem et satis clare ac sonore oscitantem: *Ohe, jam satis est, ohe libelle!* Et profecto, quamquam nondum *pervenimus usque ad umbilicos* neque tota haec profligata est quaestio et ad exitum adducta, tamen sexcentas habeo caussas, cur tandem aliquando finem faciam scribendi. Nam primum iis qui haec legent et vel maxime Tibi parcere aequum est: deinde si ad reliquas Aristophanis comoedias eodem modo pertractandas accederemus, testimoniorum penuria celeriter ex plano perspicuitatis campo in conjecturae angustias et spinosarum quaestionum dumeta compelleremur Denique vero etiam hoc *sub axe boreo* paullatim incipit

*Caelum nitescere, aura jam mitescere,*
*Rigidusque ventorum aestus defervescere,*
*Fluvii soluti solibus liquescere,*
*Fontes scatere prataque revirescere.*

Itaque jam taedet parietibus inclusum in libris desudare *scholasticoque* ut ita dicam *pulvere exarescere.* Et ne Aristophanes ipse misere laborantem irrideat, quam celerrime domo me proripiam et videbo, jamne in his quoque Scytharum

---

[47]) Hanov. l. c. p. 25.

arenis canat alauda. Tibi vero si in hac scriptione ita versatus esse videbor, ut operam et oleum non omnino me perdidisse neque nimis intemperanter otio et literis abusum esse censeas, *sublimi feriam sidera vertice.* Vale.

Scrib. Gubenae mense Martio anni h. s. LV.

***Theodorus Kock.***

---

**Corrigenda.**

P. 8 sub fin. leg.: ad propositum accedam.
,, 10, v. 3 l.: tam accurate.
,, 14, v. 22 l.: iis uti noluisse.
,, 17, v. 5. 6 l.: testimoniorum.
,, ,, ,, 18 l.: pro certo dicere non possumus.
,, 23, v. 6 l.: sed jam saepe.
,, 26, v. 31 l.: omnino (pro omnimo).

# Schulnachrichten.

## A. Lehrverfassung.

### Verzeichniß der in dem verflossenen Schuljahre behandelten Lehrgegenstände.

#### Prima.

